GREGORIUS MAGNUS

Zwettl, um 1200

Seite 175r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

crescentem intrinsecus animi tumorem premat. Intuetur enim quibus sub ipso sunt, sed considerat sub quo ipse sit, ut ex eius consideratione cum decrescat tumor falsae dominationis. Unde beatus Iob quia eius iudicium qui super omnia est metuit, hic ad temporale iudicium famulis aequalis venit, dicens: Si contempsi iudicium subire cum servo meo et ancilla mea, cum disceptarent adversum me. Quid enim faciam cum surrexerit ad iudicandum Dominus? et cum quaesierit, quid respondebo illi? Qui ut semper cor in humilitate deprimat, nequaquam in eisdem famulis conspicit quod sibi status est dispar, sed quod natura communis est. Unde etiam subdidit: Numquid non in utero fecit me qui et illum operatus est, et formavit me in vulva unus? Potentibus viris magna est virtus humilitatis, considerata aequalitas conditionis. Omnes namque homines natura aequales sumus, sed accessit dispensatorio ordine ut quibusdam praelati videamur. Si ergo hoc a mente deprimimus quod temporaliter accessit, invenimus citius quod naturaliter sumus. Plerumque enim se animo accepta potestas obicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humilitatis consideratione deprimendus est tumor elationis. Si enim apud semetipsam mens descendit de vertice culminis, citius invenit planitiem naturalis aequalitatis. Nam ut praefati sumus omnes homines natura aequales genuit, sed variante meritorum ordine, alios aliis dispensatio occulta postponit. Ipsa autem diversitas quae accessit ex vitio, recte est divinis iudiciis ordinata, ut quia omnis homo iter vitae aeque non graditur, alter ab altero regatur. Sancti autem viri cum praesunt, non in se potestatem ordinis, sed aequalitatem conditionis attendunt, nec praeesse gaudent hominibus, sed prodesse. Sciunt enim quod antiqui patres nostri non tam reges hominum quam pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noe Dominus filiisque eius diceret: Crescite et multiplicamini et replete terram, subdidit: Et terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terrae. Non enim ait sit super homines qui futuri sunt, sed sit super cuncta animalia terrae. Homo animalibus irrationabilibus, non ceteris hominibus natura praelatus est, et idcirco ei dicitur ut ab animalibus et non ab homine timeatur. Quia contra naturam superbire est ab aequali velle timeri. Quamvis plerumque a subditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab eisdem subditis Deum minime timeri deprehendunt, ut humana saltem formidine peccare metuant qui divina iudicia non formidant. Nequaquam ergo praepositi ex hoc quaesito timore superbiunt, in quo non suam gloriam sed subditorum iustitiam quaerunt. In eo enim quod metum sibi a perversis viventibus exigunt, quasi non